



Bl. 12.





QVOD FELIX FAVSTVMQVE SIT  
DE  
PRAEPARATIONE  
STVDIORVM SHO-  
LASTICA

DVO ORNATISSIMI ADOLE-  
SCENTES OPTIMEQVE AD ACADEMI-  
AM PRAEPARATI EDISSERENT

A. D. VIII APRIL. POST PRECES MERIDIANAS.

AD AVDIENDVM

QVO PAR EST ADFFECTV ET OBSERVANTIA.  
INVITAT

M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,  
R E C T O R.

---

C I Z A E

Exscripsit Fridem. Hetstädt/ Ducal. Sax. Numb. Typogr.



IN GOD FELIX TRAVSIVIMVS SIT

DE

PRÆPARATIONE

STATIONVM

LASTICA

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM


AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM

AD ACADEMIAM







**M**ale scholis, liberalium artium  
officinis, consulitur, quum ruditas sæculi  
& eruditionis deficientis ratio illarum vel  
prauitati vel negligentia imputatur. Sunt  
equidem in causa illa, ut mores fingantur, ut vera  
aut fucata doctrina in animos infundatur; verum  
non solæ in causa sunt, sed aliæ quoque res in socie-  
tatem vel meriti, vel si secus habet, etiam culpæ ad-  
vocandæ sunt. Auctor dialogi de eloquentiæ cor-  
ruptæ causis, siue Tacitus is est, ut vulgo creditur,  
siue Fabius Quintilianus, aut alius non multo inferi-  
oris æui litterator, cap. xxviii iam tum de suis tempo-  
ribus recte iudicauit, eloquentiam & ceteras artes de-  
fecisse non inopia hominum, sed **DESIDIA IUVENTV-  
TIS, ET NEGLIGENTIA PARENTVM, ET INSCIENTIA  
PRAECIPIENTIVM, ET OBLIVIONE MORIS ANTIQVI.**  
Non minus enim ab adolescentium desidia, aut vi-  
tio parentum in educatione liberorum peccatur,  
quam a schola animorum formatrice, quamuis ea  
sit iniquitas sæculi, ut huic soli potius, quam vel pa-  
rentum intermissæ curæ, vel discipulorum destitutæ in-  
dustriæ, quidquid peccatur in institutione, iniusto  
iudicio attribuatur. Quin potius distinguimus, quæ  
auctor dialogi seiunxerat, parentum negligentiam,  
desidiam iuventutis, & inscientiam præcipientium,  
& singulorum, non solius scholæ, errorem ac vitium  
notamus. Quod si prima parentum hæc debet cura  
esse,



esse, vt filiis prospiciant, illorumque formationi in-  
tenti deditique sint; non culpa vacabunt ii, qui vel  
negligunt filiorum institutionem, vel inscienti ho-  
mini inexercitatoque committunt, vel si sortiti sunt  
pædagogum non pœnitendum, præpropera festina-  
tione impediunt, quo minus perpoliando absolua-  
tur, quæ suscepta præparatio fuerat. Sunt etiam qui  
domestica indulgentia deprauant, quæ publica disci-  
plina in rectum statum adducta erant, & laborioso  
exercitamento in melius cœperant assidue emendari.  
Ita sane est, vt multos parentum supina culpa absol-  
vere non possimus, nec illos solos intelligimus, quos  
nemo peccare negat, hoc est, qui negligentius res  
suas agunt, de fordido quæstu, quam liberorum salu-  
te magis solliciti: sed cum primis eorum miramur a-  
lienatum a vero animum, qui prudentiæ opinionem  
adfectant, attamen imprudentes circa educandos  
formandosque liberos hic, illic deprehenduntur. Quis  
enim ignorat sæpe numero fieri, vt stupidi & inepti  
ad litteras pueri præceptoribus fingendi poliendique  
obtrudantur, & quamlibet argumentis demonstratur,  
frustra obniti naturæ, qui sine ingenio litterarum  
consecratur studiis; tamen ita tenaces sæpe propo-  
siti sunt, vt spretis sanioribus consiliis, vel stupidissi-  
mos etiam filios erudiri & rebus gerendis præparari  
in schola percupiant. Sed missis ineptioribus, finga-  
mus omnes idoneos esse accipiendæ disciplinæ; nec  
sic tamen omnibus ex æquo videmus consuli. Spa-  
ciosus hic campus esset, de publica priuataque disci-  
plina differendi, vtrum consultius sit domi seorsum  
separatimque liberos informari, quam publice cum  
multis coniungi, & æmulationibus aliorum exerceri.  
Vt-



Vt cunque non desunt, quæ scholæ ab imperitis & ini-  
quis rerum censoribus obiiciantur, videlicet corrupti-  
onis pronitas in tam promiscua multitudine, aut tar-  
ditas profectuum obstante numero discipulorum,  
quo minus seorsum cum singulis possit quotidie agi;  
tamen, non vt causæ meæ seruiam, sed quia res  
ipsa veritasque perdocet & multorum exemplorum  
euentus confirmat, publicam præferendam duco pri-  
vatæ, etiam sollertissimæ institutioni. Non enim ob-  
vii sunt vbique pædagogi, qui & ingenio, & solida do-  
ctrina, & quod caput rei est, vsu & exercitio sufficiant  
huic operæ, præsertim si adulescant pueri & ad altio-  
ra iam adproperent. Fac vero inueniri doctum exer-  
citatumque, qui pædagogiam subeat; nec tamen o-  
mnia statim prosperrime succedent, & si nihil aliud  
impedimento sit profectui; vel sola æmulatio, quæ  
calcar est studiorum, publicam institutionem com-  
mendatiorem facit, dum ingenia in magno cœtu non  
desunt, quibus excitari alia inflammarique ad acrius  
arripiendas litteras possint; quum contra rara admo-  
dum sint illorum exempla, qui extra publicam scho-  
lam ad veram antiquamque eruditionem priuato du-  
ctu peruenerint. Vt taceam arrogantiam tumorem,  
qui ex umbratili facilius quam publica institutione  
nascitur. Necessè est enim, sibi nimium tribuat, qui  
se nemini comparabit. Quæ obiiciebantur corrupti-  
onis pericula; tum bonitate naturæ euitari, tum cor-  
rigi præceptoris vigilantia ita possunt, vt, si quid se-  
cius euenire videatur, non illud ex schola in domum  
profectum, sed domo in scholam illatum plerumque  
deprehendatur. Sanctior vbi domestica disciplina est,  
non facile habemus, quod publicam metuamus de-  
pra-



prauationem. Tandem est etiam, quam in parentum officio notamus, præpropera festinatio, qua filios nondum penitus imbutos scholæ præceptis, sed leuiter tantummodo tinctos, atque ita crudos rudesque in academiam ablegant, sola spe celerioris fortunæ, aut metu mortalitatis, ne fatis præuenti consulere non possint liberorum studiis. At vero quantum in ipsis est, hi homines suum suorumque commodum communi præponunt vtilitati, & si, quod sentio, dicendum est, diuinæ curæ diffidere videntur, dum nisi suos sua gratia adiuuerint superstites, desertos illos & ope destitutos existimant. At deserui virtus, pietas, doctrina nunquam possunt, quibus si ornati adolescentibus sunt, facile inuenient, quorum consilio, ope atque studio in litteris discendis subleuentur. Verum satis de parentum officio: adolescentum percensemus munia. Hi vero si nacti fuerint ingenii sollertiam, nulla re iuuari magis in curriculo studiorum possunt, quam assiduitate laboris, & abstinentia voluptatum, quod pestis studiorum sunt desidia & voluptas, quarum hæc amore honestatis coercetur; illa gloriæ cupiditate excinditur. Nisi enim quod honestum pulchrumque est, adolescens amet, cupiatque emergere & celebris aliquando fieri, haut puto aptum ad litteras discendas esse, ad quas alacritate, adgrediendum est, laboris sedulitate in iisdem, perseuerandum. Itaque gloriæ cupido vt argumentum est melioris indolis: ita contemptio illius abiectum arguit sordidumque ingenium, quod opificiis potius, quam sacris Musarum est destinandum. Non enim exigui sunt labores, non breues molestiæ tiro-  
ni litterarum sustinendæ, quibus non sufficit mens  
humi



humi repens & sordibus coinquinata; sed erectum oportet esse & spe gloriæ concitatum, virtutisque amore imbutum, quem idoneum sectatorem Musarum esse cupimus. Quod vero ad munus præcipientium pertinet, plurimum refert ingenia discerni & generosa liberaliter, sequiora salutaris ipsi & conveniente modo tractari. Compendio etiam ducenda sunt, non per ambages, & teneræ ætati proponenda, quæ nunquam dedisci debeant, sed usui sint per omne vitæ curriculum. Nihil in scholis ædificet magister, nisi quod fundamentum præbeat firmiori solidæque eruditioni: quæ altioris substructionis sunt, aliorum labori atque curæ relinquat, fugiatque præposteram multorum consuetudinem, qui vel vagi- entes pueros philosophiæ arcanis imbuunt, Latinæ Græcæque linguarum nitidiorum stilum, Rhetoricæ usum & exercitationem, Historiæ & Geographiæ principia, & quæ alia debent esse scholarum studia, tanquam superflua & inutilia prætermittentes, quum tamen sine illis ne consistere quidem possint, quæ imponuntur graviores altioresque disciplinæ. Longum est hanc rem digne declarare: efficacius com- monstratur per meliora exempla, & parentum quidem cognoscimus in summis viris & de vtra- que republica dudum meritissimis, quorum filios, ornatos cultosque adolescentes, auspiciis rite factis dimittendos esse hoc programme significamus. Qui quamvis ea ætate erant iisque profectibus lit- terarum, ut permultis, qui in academiam mittun- tur, non impares viderentur; tamen nihil festinan- dum rati parentes optimi, & illustris quidem iuris- consultorum princeps integro triennio; venerabilis autem



autem antistes Vinariensis aulae & ecclesiae sesquennio, vterque carissimum multaque spei filium nostrae disciplinae commisit, ut in illis artibus magis polirentur, quae necessariae iis sunt, qui non ad vulgarem, sed excellentem eruditionem impigre, & recto tramite contendunt. Quae etiam ita cupide adolescentes bene morati & singulariter industrii capacissimo, quo pollent, ingenio arripuerunt, ut cum pietatis, virtutis, & doctrinae non triuialis laude, etiam in exemplum & aemulationem aliorum, nunc publice, quod bene vertat, & faustis adprecationibus comitati, dimittantur. De nostra methodo nihil adiicimus, quam ANTIQVO ME MORE illos ad optimorum scriptorum lectionem imitationemque adduxisse: cetera ipsi, quos commendamus, ultimo in schola nostra sermone enarrabunt, disserturi *de preparatione scholastica*, BURCARDVS quidem GOTTHELF STRVVIVS, *ad studium civile*; GEORGIVS autem WILHELMVS von der Lage / *ad sacrum & theologicum studium* respiciens, ut quasi publice rationem reddant temporis impensarumque, omnibusque innotescat, quam strenue feliciterque nostrum ductum secuti fuerint. His ut frequentes adsint crastino die auditores, patronos & fautores Musarum nostrarum ceterosque huius oppidi eruditos maiorem in modum identidem rogamus & obtestamur. PP. Cizae VII Idus Apriles MDCCXXXVII.




Nr 3165

8  
80

Wort

120







Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

FAVSTVMQVE SIT  
 DE  
 RATIONE  
 RVM SCHO-  
 STICA  
 TISSIMI ADOLE-  
 EQVE AD ACADEMI-  
 RATI EDISSERENT  
 OST PRECES MERIDIANAS.  
 /DIENDVM  
 ECTV ET OBSERVANTIA.  
 VITAT  
 ORVS CELLARIVS,  
 CTOR.

IZAE  
 dt/ Ducal. Sax. Numb. Typogr.

54

W.H.